



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Et vellet à Societate vitari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

Aulas quam
Canisius fu-
geret.

*Br. Gellert à So.
cietate Vitari.*

Multa autem, dum hæc tractat, perpetienda indigna, exhaurienda acerba fuere : quæ suscepit ille, & exhausit eo animo, vt existimaret causam agi communem societatis totius, atq; eiusmodi, pro qua rectè caput ipsum in discrimen daretur. Vix enim dici potest, Vir sapientissimus quātam ab Aulis perniciem nostro Ordini formidaret. Itaque ad Præpositum Euerardū multa sæpe in hanc sententiam grauiter, & illa præ ceteris scripsit. Res ipsa docuit, & confirmauit meam iam antè conceptam sententiam, nimirum valdè cauendum hoc esse nouum temptationis genus, quod nostris hominibus magis, magisq; paratur ab his, qui cū societatis Patroni, & amici videri volunt, quod dā è nostris in suas familias, & aulas deducere, & nescio ad quam seruitutem tacitè redigere, ipsisque delinitis, & inescatis paulatim imperare velle videntur. Atre vera, vt breuiter dicam, si nostri paulò diutius apud seculares istos, aulicosq; versentur, vt nunc res nobilium apud Germanos potissimum comparatæ sunt, plus in se ipsis detinenti, quam in aliis spiritualis commodi experientur : & vix effugient, quin vel inuiti subinde peccatis communicent alienis in hac communi homi-

hominum licentia, corruptaque nobilium disciplina. Quapropter etiam, atq; etiam Paternitatem tuam rogo, ne se facile istorum magnatum precibus permoueri sinat, qui nostros secum in aula versari flagitat, ac istiusmodi missiones mēse longiores expetunt. Omitto in quæ fastidia, & pericula nostri incident, cum se istorum ingeniis vt cumq; accommodare coguntur, ita vt nec sibi, nec aliis pro ratione suę vocationis seruire, ac prodesse possint. Loquor autem de Germanorum nostrorum receptis moribus, à quibus nostros, quoad eius fieri potest, abesse consultissimū puto. Sub hæc locus incidit, quo sua de fugiendis Aulis dicta Canisius affirmaret ipsis rebus, planūque faceret nihilo se validius verbo, quām exemplo esse doctorem. Albertus Comes de Furstenbergio ex Euerardo Præposito impetrarat, vt aliquis ad se de societate confessarius in tempus aliquod mitteretur. Nam & ipse à pietatis non abhorrebat studiis, & coniugem habebat admodū piam, assuetamq; Pragæ Imperatricis in Aula frequenti confessioni, sic vt difficillimè careret magistro conscientiæ, qui ad manum quotidiè præsto esset. Quarum rerum gnarus Provincialis Hoffæus,

*Mittitur ad
Comitem de
Furstenberg.*